



R. P. Thomæ Tamburini Æ Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XXII. De juramento ficto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Caput XXII. De Iuramento ficto. 511

cum obligaris famam proximi restituere, neque alia via commodiore reparare potes, quam usu amphibologici iuramenti. Sanch. Bonac.

Ex hac certe doctrina deciduntur plures casus in praxi contingentes. Primo, rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non tenetis manifestare, vel ex eo quod non iudicetis rogari, vel ex eo quod tibi grave nocummentum ex manifestatione provenire, negare poteris, fecisse, subintelligendo, in carcere, &c. ad dicendum. Sic Sanch. Clar. Reg. Navar. Bonac.

Secundo, &c. Hacenus Castrop.

Joan. Sanch. sic. Reus inquit disput. 46. num. 17. cuius delictum est semiprobatum in causa sanguinis, ob quod morte esset plectendus, aut ad trivemes, vel exilium, aut bonorum amissionem esset damnandus, veritatem delicti iudici interroganti apperire non tenetur, eo quod nullus ad sui damnationem iurare constringitur; est namque jus conservandi vitam adeo strictum, quod nulla lege positiva abrogari possit; tum si reus constringeretur veritatem manifestare, constringeretur sua damnationis esse iocalem auctorem: nam quod testis adversus illum testimonium tulit, nihil conducit ad condemnationem, cum sine delinquentis confessione damari non possit.

9. Pauld post. Quod possit equivocatione utendo, veritatem celare, docent Navar. Less. Sa. Valer. Sylvest. &c. Docet item hanc opinionem Villalob. Othavianus Spatarinus, tanquam certam, docet. Item Rodriguez tanquam certam, & hanc pro viribus defendit. Item ut probabilem docet Pittigonus, Peyrinus, & Layman, Salcedo, ut sibi certam. Agon. ut probabilem, & Reginal. Scot. Filline. Malderns & subsistent aliqui viri docti, quos consului. Quae quidem sententia non solum mihi probabilis, sed certa videtur.

Quod vero fas sit quoque, in praedicto casu Deum in testem adducere, mihi quoque certum; nam eadem causa, quae existit ad excusandum mendacium, intercedit pariter ad excusandum iuramentum iuxta dicenda (disput. 46. num. 17. ubi Auctores referemus).

10. De ea autem disput. 46. n. 17. idem sic repetit.

Nam eadem causa, quae adest ad excusandum mendacium, equivocatione retenta, sufficit etiam ad excusandum iuramentum, ut docet Angel Sylvest. Navar. Azor. Val. Salon. Sanch. Tolet. Mannel. Philia. Suar. Less. Mart. Delrio, alios adducens Sa. &c.

11. Undenam igitur hunc purum errorem hausisti, Baroni, quod scilicet hoc sit Tamburini inventum & a doctoribus longissime distans? Praeterea si tam multi (ut modo legisti) Castropalaus, Joan. Sanchius, Spatarinus Rodriguez, Salcedo non solum id ut probabile sustinent, sed ut certum, quia ratione tibi admirabile Paradoxon sit? Legite si est otium lectores ingenui, & obtusescite ad tam injustas iniurias, quas in hominem innocentem hic iactat Baronius; Hanc unam ex remissioribus audire, ne molestum sit.

BARON. Ibid. fol. 91. Hic (Tamburinus) etiam multis Paradoxis se primum inventis, quasi Parafangis, a reliquis Doctoribus etiam sui Instituti, longissime distat; nec dubito, quin velit videri, quasi in laxandis conscientiis, gloriam, & singularitatem affectasse. Huius generis est, &c.

Nunc monet tempus, ut agamus de Iuramento ficto, hacenus enim locuti sumus de equivoco.

CAPUT XXII.

De Iuramento ficto.

IN hoc eodem loco transit Baronius ad Iuramentum fictum, doctrinamque Tamburini de eo vocat alteram Paradoxam partem, quam certe ego vocatem partem tertiam, sic autem habet.

A. B. A. R. O. N. Ibid. fol. 93. Altera vero Paradoxam partem

fit contra consensum omnium Theologorum. Nam Sotus l. 8. de Just. q. 1. a. 7. Ita habet. Emergit dubium, utrum iurare exterius fide sine intentione iurandi, sit peccatum mortale; quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem dem qui dicit se iurare, & non iurat, mentitur: ergo lis est extra controversiam posita inter vniuersos Theologos, iuramenta sine iurandi animo etiam ex causa, illicite proferri.

3. Cum tamen Tamburinus, certum velit esse, ab omni culpa excusari huiusmodi iuramenta. Sed longe recedit non solum ab antiquorum Doctorum, & exvancorum mente, sed etiam ipsius Suarez qui huiusmodi iuramenta accusat & gravis peccati mortalis ex genere suo. Neque enim potest nomen Dei fide assumi ad iurandum, nisi vanè assumatur; id est ad decipiendum potius, quam ad conservandum veritatem. Quid autem vanum magis, quam ipsa fallacia, & deceptio, qua non solum irrogatur Dei nomini iniuria, sed etiam resolvitur vis iuramenti, & sanctitas violatur; cum nequeat ejus contemptus efficacius induci, quam sibi persuadent, posse adhiberi iuramentum, nulla intentione iurandi. Id ipsum confirmari potest variis exemplis ex Suar. Caietan. & aliis. Si liceat fide animo iurare ex metu, vel alia quacunque de causa, quidni proferre blasphemias? ut arguit Suarez. Quidni Idola colere in speciem, animo ab Idololatria alienissimo? ut ex Caietano urget Sotus, quod tamen fide Idololatria genus imputatur Marcellino Pontifici in grave crimen &c. Hacenus ille.

4. In primis verbis nimis indistincte asseris, iuramentum fictum ex causa esse peccatum. Praeterea dum id confirmas ex consensu omnium Theologorum, cur deinde id probas unius Soti testimonio? sed mox videbimus de huiusmodi omnium consensu.

5. Prius enim advertendum est, hic tres debere questiones diligenter distingui. Prima est, an iuramentum sine animo iurandi, hoc est sine animo vocandi Deum, sit verè, & essentialiter iuramentum, & nullus ex medicis Theologis affirmabit esse iuramentum; deest enim illi essentia iuramenti, quae est Dei invocatio. Queritur autem an ita externe iurare cum causa, sit licitum, praescindendo ab alio inconvenienti, sed sit culpa ex ipsa ratione iuramenti; nam si addas, dictum aliquod inconveniens, erit peccatum ex inconvenienti illo. Et in hac prima questione Tamburini sententia est, id, quando adest causa, & nullum adest aliud inconvenientiens, non esse illicitum.

6. Secunda questio est an uti hoc iuramento, in quo solum oretenus invocatur Deus, ad aliquem decipiendum, sit culpa, etiam si fiat cum causa. Et in hac secunda questione, Tamburini doctrina est, esse dupliciter peccatum. Primo, esse peccatum contra iustitiam, quo proximus decipitur. Secundo, esse peccatum contra Religionem, quia iurans utitur Dei sacro nomine, tanquam medio ad summam peccatum; id quod nemo dubitat, esse contemptum Dei; & de hoc loquitur Suarez a Baronio citatus illis verbis, quae ipse modo num. 3. meo attulit. Neque enim potest nomen Dei fide assumi ad iurandum, nisi vanè assumatur, id est ad decipiendum, & poterat citari etiam Sanch. lib. 3. in Decal. c. 6. n. 18. & 22.

7. Tertia questio est; an iurare sine animo iurandi, ut item sine animo utendi iuramento, ad decipiendum aliquem, sed solum mentiendo, dum quis abstrahendo à quocunque alio damno proximi dicit iurare vellet; cum tamen non invocet interne Deum, sed solum externe, sit licitum? Et in hac tertia questione Tamburini sententia est, non esse licitum etiam ex causa, quia intervenit mendacium, atque ad o. esse peccatum saltem veniale, nemini posse esse dubium. Porro hoc, dumtaxat loc. cit. docet Sotus: dicens enim. Quandoquidem dicit, se iurare, & non iurat, mentitur, ergo lis est extra controversiam, &c. Hoc enim (ergo) est nota consequentia, quae deducitur ab antecedente: At in antecedente locutio fuit haec: Qui dicit se iurare, & non iurat, mentitur.

titur. Quare hæc erit doctrina extra litem, quam omnes ultro fatemur, nempe etiam ex causa illicitè proferri & quidem, in præciso casu de quo loquimur, venialiter.

8. Jam vero quia has tres quæstiones Baronius non advertit, idcirco tam immeritò insurgit contra Tamburinum. Quæstio enim hoc in loco non est, neque Secunda, neque Tertia, sed prima: siquidem locutio sit de juramento, ex vi juramenti, non vero si addantur alia prædicta inconvenientia. Verum ad pauca respicientes facile pronuntiant.

9. Quod autem ex principiis Tamburini juramentum quodcumque si assumatur, tanquam medium ad decipiendum, sit contra Religionem, non solum contra iustitiam, sic ipse docet lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 4. num. 5. sine.

TAMB. num. 5. Sumere Dei testimonium tanquam medium ad iniquè agendum præsumptio est, & irreverentia contra Deum.

Et iterum alio loco, nempe eodem lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 9. sic habet.

10. TAMB. Num. 9. Petes, quodnam peccatum est promittere cum iuramento rem non licitam? Respondeo cum Sanch. lib. 3. in Dec. c. 9. n. 14. esse mortale sacrilegium, si res est illicita mortaliter; quia iuratur divino testimonio ad rem iniquam faciendam, quæ est summa Dei irreverentia; de qua dicimus sup. cap. 1. §. 4. n. 5. Vnde vides in confessione esse explicandum, an iuraveris peccatum mortale, v. g. homicidium cum intentione illud exequendi, vel cum intentione non exequendi; nam prius habet duas species malitias, nempe homicidii, & irreverentia, posterius, solius perituri.

Quod si res sit illicita venialiter, vel sit contra consilia, ut cum veritate iures, te dicturum mendacium officiosum, vel non daturum elemosynam, non ingressurum Religionem, non accepturum officium Pretoris, &c. puto cum Fagundes l. 2. in præc. Decal. secundum cap. 1. §. 1. esse veniale, quia non videtur gravis iniuria Dei, uti divino testimonio ad rem leviter illicitam, ut ibidem diximus. Hæc ibi.

11. Vides in iuramento assumpto ad firmandum peccatum etiam si sit cum veritate, esse peccatum contra Dei reverentiam, nec solum contra iustitiam? ut si quis v. g. cum veritate iuraret, se cras occisurum suum inimicum, &c. id quod non est ex ratione iuramenti, quia hoc verum esse supponitur, sed ex eo, quod invocatur Deus ad finem malum, seu ad firmandum peccatum sic iurant. Ex hac doctrina clare colligis, Tamburinum esse in ea sententia ut talis invocatio quæcumque, si cum vero animo iurandi, si cum animo non iurandi, in casu scilicet, quo invocatio Dei sit solum externa, semper esse contra Dei reverentiam, & dirigatur ad peccatum firmandum, vel ad decipiendum, &c. quia tota malitia tum sumitur à pravo hoc fine, quo scilicet dehonatur Deus, seu ipsius sanctum Nomen, dum adhibetur ut medium ad peccatum firmandum: id quod cum sit intrinsecè malum, non potest ex ulla causa à culpa excusari.

12. Ne igitur, Baroni, contra Tamburinum profectus Suarez auctoritatem, nec paritatem ductam ex adorante Daemonem, vel fidem negante solum exterius. Ultro enim profetetur, sicuti hæc, quamvis solum externa, sicut in Dei contemptum, ita esse iuramentum quando sit ad decipiendum, vel quando adiungitur aliud inconvenienti ut dictum est. Sed nostra Quæstio, bone Vir, huiusmodi non est, sed illa primo loco dicta. An iuramentum sine animo iurandi, hoc est, An iuramentum fictum ex vi solius actus iurandi, præscindendo à prædictis adiunctis, sit illicitum, quando sit ex causa; Et non esse illicitum, docet Tamburinus; quia illud non est iuramentum essentialiter. Cum, iurare sine intentione iurandi, sit simile ac orare sine intentione orandi, quod non solum non est ne materialiter quidem malum,

sed aliquando est commendabile, veluti quando iuratur dum labori incendit, canit Patet v. g. & Ave.

Agre sique sum solatur vocelaborum.

Et ex alia parte illa causa facit, ut nulla sit deprehensio, quæ aliàs esset in illo actu exteriore, qui non conformatur cum animo interiore. Ideo enim illa, deprehensio fuisse, quia aliquem deciperem; vel quia mentem confirmarem; at hæc, aut quid simile in hac quæstione primo loco explicata supponimus, non adest.

13. Nunc oro lectorum, ut claritatis, & majoris confirmationis ergo, sinat me rescribere Tamburini doctrinam hæc de re breviter allatam, & latius à Castrop. Sanchez explicatam.

TAMB. supra cap. 2.1. meo n. 5. Certum est primo iure sine animo implendi esse mortale, Ita Less. Sanch. & communiter. Certum est secundo, iurare sine animo iurandi si res levis sit, sive gravis, non esse licitum sine causa saltem esse cum causa.

Hoc dictum Tamburini si bene à Baroniæ repetendum erat, oportebat distinguere, quando quis sine animo iurandi iurat verum, quando vero falsum. Nam hac distinctione præ oculis habita, neque paradoxum est quod dicitur à Tamburino, neque singulare. Cogitamus id à Castropalao.

14. CASTROP. Dico secundo ait Castrop. Tem. 1. tit. 1. d. 1. p. 8. n. 4. Si iuras sine animo iurandi, distinguendum est; vel iuras verum, vel falsum. Si iuras falsum, non in iudicio, quam extra, est peccatum mortale. Si iuras verum, probabile est esse solum veniale extra iudicium; in iudicio, & contrariis, mortale. Priorem partem conclusionis per iurare falsum sine animo iurandi, esse mortale, defendit Caiet. Sor. Covarr. Petr. Ledesm. Less. Sanch. Bonac. Sanch. Rationem reddunt, quia iuramentum exterius, quod est Divina Maiestatis cultus, assumitur ad falsitatem commendandam. Vnde sicut geneflexio, aliisque externis cultus, si Idolo tribuatur, est peccatum grave, quia applicatur materia indebita actui solum debita Deo; similiter cum quis iuraverit contra Religionem, iurare falsum tantum absque intentione, quia externus cultus Deservit iuramentum debitus, materia indebita applicatur. Certum hæc ratio solum videtur convincere in iuramento casu facto per Idola vel Creaturam sistendo in ipsa.

Et quæ sequuntur: Ea enim non est necesse hęc recitare, cum non faciant ad nos, ipse autem paulo post sic pergit dicere quæ ad nos pertinent.

15. Ceterum retinenda est communis sententia, quia extra casum, quem dixi ex Lessio nullum iuramentum Deservire (si plures evolvi) qui affirmaret, non est peccatum mortale iurare falsum, etiam sine animo iurandi. Ex ratio esse potest, quia videtur Deo gravis irreverentia fieri ex eo, quod tantum in apparentia, & nomine tantum in rebus falsi invocatur Deus. Nomen enim Dei summa reverentia datur, &c.

Et infra.

16. Secunda pars conclusionis, nempe probabile est, non esse mortale, si verum iures sine animo iurandi, tenet Less. Sanch. Bonac. Ratio est, quia non videtur ex hoc iuramento fieri gravis iniuria Deo neque homini. Non Deo, quia illa simulatur aduici in testem, adducitur in testem orandi. Sicuti cum simulate oras eo tempore, quo non tenetis precepto orandi, non ob inde censuris Deo facere gravem iniuriam: neque etiam ex tali iuramento provenit gravis iniuria, quia si ponimus, gratias inde illi non laud. Ex nullo ergo capite mortale peccatum esse potest. Et tamen absque dubio peccatum veniale, & grave, quando nulla legitima, & honesta causa fuerit, quia est quædam falsitas iuramenti eneruens. Hæc Castrop.

17. Notas, hæc ultima verba? (quando nulla legitima, & honesta causa fuerit) quasi dicat, securi si honesta & legitima fuerit causa, quæ est doctrina Tamburini. Quare

Cap. XXIII. Secundum Paradoxum imput. 513

Quare non est hæc ab illo inventa, ut Baroni, dicit. Loquitur enim Tamburinus, quando quis sine animo iurandi iurat illud, quod est verum: nam quando est falsum, quia tunc decipitur proximus, ut sæpe diximus ex eodem, est illicitum, & in materia gravi est mortale contra iustitiam. Præterea, etiam in materia levi, & in quacunque materia si adhibeatur tale fictum iuramentum ad finem peccaminosum, seu ut medium ad firmandum peccatum etiam veniale, est peccatum grave contra Regionem, ut supra vidimus.

18. Hinc fit, ut si Baroni inveniisset, Tamburinum loqui de iurante falsum sine animo iurandi, recte dixisset id esse contra consensum omnium Doctorum: nam etiam est contra consensum ipsius Tamburini. Nunc vero cum ex principiis nostri Authoris modo dictis meo n. 9. & 10. non possit hæc doctrina intelligi, nisi de casu, quo iuratur res vera, nihil poterit contra ipsum asserti. Sed certe excuso Baroni in præsentia, siquidem verè difficile solet esse, principia Authorum in suis quæque locis dispersa inquirere, ut deinde ex ipsorum mente quæstio decidatur.

19. Porro ne tibi, Lector, sit molestum prædicta etiam cognoscere à Thoma Sanchez.

TH. SANCHEZ. At verius est, (ait lib. 3. in Decal. cap. 6. num. 10.) quod sic distinguit Valentia. Si iurans (sine animo iurandi) dicit verum, tunc solum peccat venialiter, quando vult significare se habere iurandi animum, quia est mendacium, & non perniciosum, ut bene Doctores præcitant; secus si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum, ut mox dicemus. Tunc enim Nulla Culpa est. Si autem iurat falsum, velique illa externa iuramenti verba referre ad materiam falsam, confirmando illa in eo externo iuramento, est mortale, ut probat ratio num. 8. adducta, & concordant omnes DD. num. præced. relati, & citati num. 8. Si autem interiori animo nolit illa ad materiam falsam referri, nec potest ob aliquas rei circumstantias rationabiliter ab aliis putari id velle, ut inde scandalizetur; sed tantum iure suo utens, usurpat ea verba, ad significandum aliquid aliud interius conceptum, quod verum sit, vel usurpat ea tantum materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat iuramentum indebita materia. Imò ego credo, nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit causa iusta nisi ea equivocacione, & consuevit magis ex statim dicendis à num. 15. Atque idem fatetur Sotus num. præced. allegatus, quando iniuste coactus usurparet ea verba materialiter: tunc enim non peccaret, ut si ita responderet; Ego iuro, vel dico; Deus est mihi testis; secus (ait Sotus) si diceret. Dico, quia Deus est mihi testis; quia tunc, ait, capit verba formaliter. Sed existimo, parius id pendere ex intentione dicentis, quippe posset hunc quoque dicendi modum capere solum materialiter, vel ad aliquid aliud significandum, ut proxime diximus ex Val. Hæc Sanchez.

20. Notas, quantum faveat nobis tuus idem Sotus? Verum hæc dicta sufficiant ad ostendendum, hanc non esse sententiam adeo novam, ut singulare inventum, vel Paradoxon appellari mereatur.

CAPVT XXIII.

Secundum Paradoxum imputatum Tamburino.

Prima Pars huius Paradoxi.

De Reo non respondente ad mentem Iudicis non certo legitimi

1. VT secundum Paradoxum loco citato. efformet, tria dicit Baroni. Primo rediens ad tenuissimam illam probabilitatem à se toties frustra decanta-

tam, ex hac deduci ait, multa incommoda, posita illa alia Tamburini doctrina, quæ assumat posse reum interrogatum à Iudice, non tamen omnino certus, an legitimus sit, ad eius Iudicis mentem non respondere. Secundo, impugnat eundem dicentem, posse idem, etiam constante competentia legitima Iudicis interrogantis. Tertio, reprehendit eundem, quasi sibi contradicentem.

2. Incipiamus à primo dicto, utque id bene intelligatur, ponamus in forma Syllogistica Baroni ratiocinationem l. c. §. 3. fol. 93.

BARON. Quando habeo tenuissimam probabilitatem, non pecco, operando secundum illam.

Sed ex quacunque incertitudine de incompetencia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, quia semper, vel sæpissime ad sunt aliqua fundamenta huiusmodi incertitudinis. Ergo habens quacunque incertitudinem, non pecco secundum illam, & consequenter possum sine peccato, ad mentem Iudicis non respondere.

3. Huius argumento sic facile responderetur ex germana doctrina Tamburini, sicuti responsum est supra in simili cap. 20. à num. meo 3.

Quando habeo tenuissimam opinionem, non pecco, operando secundum illam. Distinguo maiorem. Si hæc tenuissima opinio obscuratur à parte opposita, sicuti obscuratur parva lux à magna, concedo maiorem, si obscuratur nego maiorem.

Sed ex quacunque incertitudine de incompetencia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, me non obligat ad mentem Iudicis respondere: distingo item maiorem. Si hæc probabilitas obscuratur à contraria parte, id certe in casu nostro obscuratur, quia levia fundamenta, quæ solum incertitudinem parant, satis absorbentur à possibilibus, in qua est iudex, & à similibus circumstantiis, nego maiorem. Si non obscuratur, quod posset evenire in alio casu diverso ab eo, qui proponitur, concedo maiorem.

Ergo habens quacunque incertitudinem non peccabo, &c. Nego consequentiam.

4. Perperam igitur Baroni absolvere imponit hinc Tamburino, quasi dicenti, satis esse ad non respondendum menti Iudicis, quod habeatur tenuissima probabilitas, multo minus, quod adsit incertitudo. Hæc enim tenuissima probabilitas, & hæc incertitudo non est vera probabilitas ex doctrina Tamburini. Vnde non rectè per artificiosum Epiphonema sic concludit impugnator ibidem.

5. BARON. Tanti momenti est apud Tamburinum equivocandi libertas, ut illius libertatis servanda causa, eludi, & perverti possit quacunque Iudicaria potestas, quantumlibet probabilis & recepta, si aliquod dubium subsit oppositæ sententiæ, quæ faveat reo, vel tenuissimam probabilitatem asserat.

6. Non rectè inquam, concludit. Nam ubinam ex ipsius doctrina colligit, receptam potestatem Iudicariam, & quantumlibet probabilem posse tam facile eludi, cum Tamburinus plurimi semper fecerit circumstantiam possessionis? Hanc enim credo à te significati per illud (receptam potestatem) quasi dicas per receptam possessionem Iudicariæ potestatis. Addis, satis esse tenuissimam probabilitatem. Addis, satis esse dubium oppositæ sententiæ faventis reo. Quæ omnia debebant distingui sub illa necessaria pensitatione, an deiciantur, seu obscurantur ab opposita parte. Sed non est hic omitendum legere quanti ponderis sit apud præceptorem meum dicta possessio.

7. TAMBURIN. Num. 12. Dixi autem (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 12.) (nisi quid aliunde obster) ut signare notarem, hanc limitationem, seu exceptionem semper præ oculis habendam esse, antequam decernatur, non aliquid sit solum remote probabile, à quo non possumus licite dirigi ad actiones peragendas, an etiam proximè, seu practice, à quo possumus. Nam si adest aliqua lex, vel consuetudo disponens de contrario, vel pactum, vel circumstantia urget aliqua, una tantum pars excipi tuto valeret. Exemplo